



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 64. Patrum Oratorii vindiciæ contra Participantium querelas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

„legitimum in Parochia cultum Divi- Sæc. XVIII.  
„num adstringere studeatis &c. A.C. 1740.

§. LXIV.

*Patrum Oratorii vindiciæ contra  
Participantium querelas.*

Acceptis hisce literis Pater Düring-  
kus pro se , ceterisque Patribus  
Oratorii ultra præstitutum terminum  
adhuc quindecim dierum inducias ad  
deliberandum sibi concedi die vigesima  
sexta Augusti petiit , obtinuitque, qui-  
bus tamen evolutis Mense sequenti per  
Küsterum Provinciæ Advocatum ad-  
versus Participantium propositas quer-  
elas libellum supplicem obtulit , expo-  
suitque , Fridericum Schlesvici Ducem  
anno prioris sæculi quinquagesimo se-  
cundo Patribus Oratorii diploma de-  
disse, vi cuius publicus Religionis cul-  
tus nonnisi Catholicis , Lutheranis ,  
& Calvinistis fuerit concessus , proin  
participantibus duntaxat jus Patrona-  
tus attributum , inde vero sequi , quod  
apud Catholicos vacante Parochi offi-  
cio tam Candidatus , quam Episcopus  
Candidatum inaugurans tam a summo  
Pontifice , quem a Parochianis pro ve-  
re Catholico habeatur , Gerhardo au-  
tem Egerwys Parocco nuper mortuo ,  
dum de successore per plurimorum vo-

A a 5

ta

Sæc. XVIII. ta eligendo agebatur, si præscriptæ  
A. C. 1740. conditiones fuissent observatæ, Queru-  
lantes pluralitati votorum immerito se-  
se opponerent: ast ab eis fuisse intru-  
sum Joannem de Baesrode Mechlinien-  
sis Archidiœcesis Clericum, ob Janse-  
nianam hæresin ad Hollandos profu-  
gum, & non modo in Hollandia ab ex-  
tero (qualis aliunde ipso jure a Sacer-  
dotii munere exclusus esset) sed etiam  
a suspenso & excommunicato Episcopo  
initiatum Sacerdotio; notoriū enim  
esse Petrum Joannem, prætensum hunc  
Ultrajectensem Episcopum, ob Janse-  
nianam labem a legitimo suo Paſto-  
re summo Pontifice piorum cætu  
amotum fuisse, ac præterea nomina-  
tionem & præsentationem in hac Insu-  
la nulli alteri, quam Joanni Adolpho  
Flaviopolitano Præfuli utpote legitimo  
Episcopo & Superiori Vicario Apostoli-  
co per septentrionem competere, ab eo  
enim, ut omnes Romano - Catholici  
Missionarii & animarum Curatores in  
Septentrione & per universum Daniæ  
Regnum suam vocationem reciperent,  
necessæ esse &c. In horum Confirma-  
tionem huic libello Düringkus adjicit  
eiusdem Episcopi Flaviopolitani literas  
ad Strandiae Participantes die decima  
nona Julii hoc anno datas, in quibus  
ipse suæ jurisdictionis hucusque exer-  
citæ

citæ valorem & jura solide propugna- Sæc. XVIII.  
bat, & præfatum P. Düringkum tan- A. C. 1740.  
quam hujus Parochiæ *Deservitorem* in-  
terim designabat : Pluribus dein argu-  
mentis hanc in rem allatis, & opposi-  
tis querelis strenue confutatis Patres  
Oratorii supplices petebant, ut man-  
datum ad Participantium preces die vi-  
gesima septima Junii emanatum sua fir-  
mitate destituatur, proin eis integrum sit,  
ut usque ad litis decisionem pro Catho-  
licis Insulæ incolis Missæ Sacrificium,  
uti hactenus, in Sacello ibidem erecto  
peragere, & tamdiu Sacra menta ad-  
ministrare possent, donec alias Sacer-  
dos Religione Catholicus legitime insti-  
tueretur &c. Has Düringki literas  
Gottorpiensis Curia jussu Dani Regis  
ad Participantes die decima tertia Sep-  
tembris transmisit, hi vero vicissim pe-  
tebant, ut simul utraque pars audire-  
tur ; se enim paratos esse, invictis ar-  
gumentis demonstrare, quam immerito  
a se facta Joannis de Baesrode ele-  
ctio tanquam nulla traduceretur, quam-  
que frivole antiqui juris possessio ab  
Oratorii Patribus jactaretur: Hæc Par-  
ticipantium declaratio die decima Oc-  
tobris Patribus fuerat communicata,  
hi tamen mox reposuerunt, omni jure  
Catholicis esse interdictum, ne intru-  
sum hunc Parochum utpote excommu-  
nicatum

Sæc. XVII  
A. C. 1740.

nicatum & inhabilem pro Pastore animalium suarum reciperent, imo eos esse omnino obstrictos, potius sine Sacramentis & Presbyteri ministerio vivere & mori: eis quoque hucusque, & antequam hoc mandatum per Participantes sub- & obreptitie extortum emanasset, in Patrum Oratorii facello Sacris interesse, semper licitum fuisse, idque plurimorum ( quorum nomina subscripta erant ) testimonio comprobatum esse, inde sperare se, ut cum summum animalium periculum in mora esset, prompte Regium mandatum abrogatum iri, eorumque petitioni satisfieri, proin Participantes, si a lite desistere nollent, coram legitimo Judice citandos esse.

Æqua videbatur hæc petitio Regiae Curiæ Judicibus, qui etiam die decima sexta Decembris utramque litigantium partem ad duodecimam Aprilis diem anni sequentis coram adesse iusserunt, ut suas rationes ultro citroque proferrent, & latam desuper sententiam exciperent. Eo fine Patres Oratorii utpote Con- Participants tam P. Düringko, quam alteri Advocato legitimum comparendi agendique mandatum dederunt: termino tamen usque ad primam Junii diem prolato, & de-

nuo longius protracto triginta tres Catholici Strandiani libellum supplicem obtulerunt, exponentes, quod integrum ferme anno sine Sacerdote & Sacrificio vivere cogerentur, proin humillime rogarent, ut quamprimum fieri posset, novus judicij terminus praesigetur, & citatis Participantibus eorumque Advocatis haec caussa agitaretur, & quam citissime decideretur: Nec sine fructu horum erant preces; confessum enim die quinta Junii utriusque parti injunctum, ut comparere festinarent; simul etiam Participantibus praefatus Catholicorum libellus communicatus, eisque insinuatum fuit, ut, nisi alia obstante, his Oratoribus, ceterisque Catholicis permitterent, ut occurrrente necessitate P. Düringkus Pastorale officium exerceret:

Sæc.XVIII.  
A.C. 1740.

§. LXV.

*Species facti & juris a Patribus Oratorii typis vulgata.*

Recepto hoc Curiæ judicio Patres Oratorii totius hujus caussæ seriem anno hujus saeculi quadragesimo secundo publicis typis vulgare decrevere, edito scripto, cui titulus: *Factum & deducio pro parte R. P. Joannis Francisci Düringcks nomine suo & ceterorum Patrum*